Quelle: http://manuscripta.at/?ID=901
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Secunda die disposuit deus superiora mundi sensibilis. Empyreum enim quam cito factum est, statim dispositum est et ornatum, id est sanctis angelis est repletum. Fecit ergo deus ea die firmamentum in medio aquarum, id est quamdam exteriorem mundi superficiem ex aquis congelatis, instar cristalli solidatam et perlucidam, intra se cetera sensibilia continentem, ad ymaginem testae, quae in ovo est, et in eo fixa sunt sydera. Et dicitur firmamentum non tantum propter sui soliditatem, sed quia terminus est aquarum quae super ipsum sunt firmum et intransgressibile. Dicitur etiam celum quia celat, id est tegit omnia sensibilia. Et cum legitur firmamentum celi, emphasis est, id est firmamentum quod est celum, ut creatura salis. Dicitur unde et pro sui concameratione grece dicitur uranos, id est palatum. Vel dicitur celum quasi casa elyos, quia sol sub ipso positus ipsum illustrat. Hanc tamen concamerationem circumvolutam philosophus summitatem ignis intellexit. Cum enim ignis non habet quo ascendat, circumvolvitur, ut in clibano patet. Sic et circa mundi exteriora ignis volvitur, et hoc est ethereum celum vel sydereum. Est etiam tercium celum infra, quod aerium dicitur, de quo aves celi comederunt illud. Quidam quartum suspicantur esse celum super empyreum, quia lucifer cum esset in empyreo, legitur dixisse: ascendam in celum et cetera. Et in eo dicunt modo esse Christum hominem super angelos qui sunt in empyreo. Sane firmamentum dividit aquas quae sub ipso sunt ab aquis que super ipsum sunt. De quibus dicitur: Qui tegis aquis superiora eius. Et sunt sicut et in principio congelate ut cristallus, ne igne solvi possint. Vel in modum nebule vaporabiles. Cur vero ibi sint, novit deus. Non quod quidam autumant, inde rorem descendere in estate. Quod autem dictum est: fiat firmamentum et postea: deus fecit firmamentum, et tercio: factum est firmamentum, non superfluit, quia sicut in domo facienda primo fit domus in sciencia artificis, fit et materialiter cum levigantur ligna et lapides, fit etiam essentialiter cum levigata in structuram domus disponuntur. Ita et dicitur fiat, ad presciencia dei refertur; fecit, ad opus in materia; factum est, ad opus in essentia. Illud primo die, istud secundo die factum est. Et cum huius diei opus bonum fuit ut ceterorum, tamen non legitur de eo: vidit deus quod esset bonum et cetera. Tradunt enim hebrei quod hoc die angelus malus factus est diabolus, quibus consentire videntur qui in secunda feria missam de angelis cantare consueverunt, qui in laudem stantium angelorum. Sed tradunt sancti quia insignitum factum est hoc, quia binarius infamis numerus est in theologia, quia primus ab unitate recedit. Deus autem unitas est et sectionem et discordiam detestatur. Possumus tamen dicere quod opus tercie diei quasi adhuc est de opere secunde diei, quod per patebit. Unde non commendatur nisi tercia die quasi post sui consummationem.

Sathael qui et lucifer. Cave.

De opere tercie diei.

Tercia die aquas sub firmamento congregavit deus in unum locum, que licet plura loca obtineant, tamen quia omnes continuantur in visceribus terre, in unum locum dicte sunt congregate. Et potuit esse quod aque que totum spacium aeris occupabant vaporabiles, soliditate modica obtineant locum. Vel terra paululum subsedit, ut eas tamquam in matrice concluderet. Et apparuit sic arida, que latens sub aqua proprie humus dicta est, sed cum apparuit arida. Eadem dicitur terra, quia teritur pedibus animantium. Vel ex his compositis elementis dicitur solum, quia solida. Dicitur tellus, quia tolerat labores hominum. Congregationem aquarum vocavit mare, hebreorum ydiomate, quod quaslibet aquarum congregationes vocavit maria. Completo ergo opere aquarum, subditur: et vidit deus quod esset bonum. Et addidit opus aliud illi diei dicens: germinet terra. Non de opere germinandi tamen intelligendum est, sed de potentia, quasi potens sit germinare. Produxit enim de terra herbam virentem et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum. Patet quia non per moras temporum, ut modo, produxit terra plantas suas, sed statim in maturitate virili, in qua et herbe seminibus et arbores pomis honuste sunt. Notandum quia dictum est: virentem, quidam dicunt mundum in vere factum, quia viror illius temporis est et fructificatio. Alii, quia legunt lignum faciens fructum et additum: herbam habentem semen, dicunt factum in augusto sub leone. Sed in martio factum dogmatizat ecclesia. Nota quia primo ait facientem semen et addidit habens unumquodque sementem, quia semen proprie dicitur dum adhuc est in seminario. Semen vero vel sementum cum seminatur, seminium vero seminatum. Distinguitur tamen aliter.

Stetit ipsa divisas partes ostendebat sed non dividebat

Quis sit locus iste vel quantus sit require.

Nota

Intellige